

retur ad sui misericordiam, & gratiam recipere, & habere. Qui D. Episc. ut pius Pater eligens cum prædicto suo fideli Presbitero Paulo, potius uti misericordia quam juris rigore ipsum ad sui misericordiam, & gratiam restituit, & recepit, ac sibi de administratione, & rectoria Ecclesiæ curatæ S. Petri dictæ terræ Fubinarum post prædicta providit ex sua ordinariæ potestate, prout hæc, & alia patent ex litteris, & instrumento, exinde confectis per me Notarium infra scriptum. Quibus omnibus sic peractis prædictus Sacerdos secundum constitutionem synodalem Episcopalis curiæ Aquensis quæ incipit *Ego talis &c.* Juravit ad sancta Dei Evangelia esse fidelis, & obediens prædicto D. Guidoni Aquensi Episcopo, & suis successoribus, & quod non erit umquam in consilio, & assensu, quod prædictus Dominus vitam, vel membrum perdat, vel quod aliquid moleste, seu contrarium eidem, & suis officialibus, & familiaribus, & terræ dicti Domini Episcopi inferatur, imo quod toto posse personam prædicti Domini sui, Episcopi defendet, custodiet, & salvabit, necnon & officiales, familiares, ac terram ipsius Domini Episcopi Domini sui, & quod etiam toto posse dabit consilium, auxilium, & favorem prædicto Domino Episcopo, & successoribus suis ad manutenendum, defendendum, gubernandum terras, honores, & bona, quæ idem Dominus Episcopus tenet, & ad recuperandum prædictas, & prædictos. Consilium, quod idem Dominus Episcopus suus ab eo petet secundum discretionem suam eidem fideliter impendat, vocatusque ab ipso Domino Episcopo Domino suo, vel a suis vicariis per nuncium, vel per litteras, vel alio quovis modo semper ad præsentiam prædicti Domini sui, & successorum suorum personaliter accedet, & veniet, nisi esset impeditus tanto, vel tali modo, quod nullo modo posset: officiales, & familiares dicti Domini Episcopi benigne recipiet: & omnia alia, & singula suprascripta juravit attendere, & servare, & ea, quæ in prædicta constitutione synodali plenius continentur, de quibus omnibus, & singulis prædictus Dominus Episcopus, & prædictus Presbiter Paulus præceperunt fieri publicum instrumentum dictandum, reficiendum, & meliorandum ad dictamen unius, & plurium sapientium. Et ego Joannes de Quiregio Novariensis diocesis Imperiali auctoritate Notarius, præfatique Domini Episcopi officialis, & scriba prædictis interfui, & hoc instrumentum mihi fieri iussu recepi, & signum meum in fine apposui in testimonium præmissorum.

*Collatio Eccl. S. Laurentii de Occimiano dioc. Vercel. Gulielmo Bavæ Canonico Astensi facta ab Aquensi Episcopo, sicuti delegato Episcopi Bethlemitani.*

343

M C C C L X I X.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXIX., indictione VII., die XIII. mensis decembris, noverint universi, & singuli hoc præsens publicum instrumentum inspecturi, quod vacante Ecclesia S. Laurentii de Occimiano diocesis Vercellensis ordinis Bethlemitani per renunciationem sponte factam de dicta Ecclesia per F. Antonium de Inviciatis dicti or-

dinis de Alexandria. Nos Guido D. G., & Apostolicæ sedis Episcopus Aquensis, & Comes, ac Vicarius, & commissarius generalis Rev. in Christo Patris, & D. D. Ademari Episcopi Bethlemitani, ad quem jure ordinario spectat collatio, & provisio dictæ Ecclesiæ S. Laurentii, ut de vicariatu, & commissione nobis factis per ipsum Dominum Episcopum Bethlemitanum facta publicum instrumentum sub signo, & manu Antonii Ferroglii clerici Astensis Notarii publici, cujus quidem instrumenti tenor dignoscitur esse talis.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem Dominicæ Nativitatis MCCCLXV., indictione III., die XXVII. mensis martii in Pontificatu sanctissimi in Christo Patris, & Domini Domini N. Urbani Papæ V. Cum officii pastoralis cura sollicitè habeat indagare, & Episcopali dignitati Ecclesiæ de Bethlem ac mensæ Episcopali ipsius quam plura beneficia in multis Patriarchatibus, Archiepiscopatibus, & Episcopatibus mundi sint mensæ prædictæ Episcopalis dignatis annexa, quæ visitatione præsentialiter indigeant diligenti; ideo in mei Notarii, & testium subscriptorum præsentia constitutus Rev. in Christo Pater, & D. D. F. Ademar Episcopus de Bethlem prædictis, & infra scriptis interesse non valens variis occupatus negotiis sponte, & ex certa sua scientia, suo nomine, & nomine, & vice dicti sui Episcopatus, ac pertinentiarum ipsius, ac mensæ suæ, & omni alio jure, modo, & forma, quibus melius & efficacius potuit de reverentia, sapientia, diligentia, ac fidelitate Rev. Patris, & D. D. Guidonis Episcopi Aquensis, & Comitum provinciarum Mediolanensis confidens fecit, constituit, & ordinavit præfatum Rev. Patrem, & D. D. Guidonem Aquensem Episcopum præsentem, & recipientem suum, & dicti sui Episcopatus, & Ecclesiæ de Bethlem certum Vicarium, nuncium, & procuratorem ad infra scripta in, & super beneficiis, Ecclesiis, & hospitalibus, & piis locis quibuscumque sitis, sive situatis, vel existentibus in civitatibus, sive diocesis infra scriptis ad ipsam Ecclesiam de Bethlem, sive ad ipsum Dominum Episcopum, & mensam ipsius spectantibus, videlicet in civitatibus, & diocesis Aquensi, Januensi, Savonensi, Naulsi, Albigaunensi, Albeni, Astensi, Vercellensi, Papiensi, Terdonensi, Taurinensi, Novariensi, civitatibus, & diocesis, & ad ipsa visitandum, seu visitari faciendum per se, vel alium, seu alios ex ipsa quacumque in dictis civitatibus, & diocesis existentia mensæ Episcopali ipsius civitatis, & Ecclesiæ de Bethlem annexa, seu applicata Apostolica, vel alia quacumque auctoritate. Et ad ipsam Ecclesiam de Bethlem quovis modo spectantia, & pertinentia, & ad ipsa beneficia cum juribus suis tam spiritualibus, quam temporalibus locandum, & ad fermam, seu annuam possessionem, vel censum annuum reddendum quibuscumque personis, quibus eidem D. Guidoni Episcopo videbitur, & visum fuerit expedire, & cum tenentibus ipsas Ecclesias hospitalia, vel alia pia loca quacumque sint conveniendum, removendum, & amovendum, & de novo aliis, seu alii concedendum, exigendum debita eidem Domino Episcopo, seu Ecclesiæ de Bethlem prædictæ ratione dictarum